

qu-Capitulorum possessionem iteratis Parliamentorum arrestis firmatam testatur Pinsonius de Beneficiis tit. De modis acquirendi Benef. §. 16. n. 18. 19. & 20.

Hic in Belgio passim, etiam Sede vacante instituunt Capitula Cathedralia concursum ad vacantes Ecclesias Parochiales, sive ad Episcopi, sive aliorum Ecclesiasticorum Collatorum vel Patronorum collationem aut presentationem spectantes; de quo latius titulo sequenti.

## CAPUT II.

## De Collatione; &amp; qua formâ expedienda?

1. Quid propriè dicta collatio; ejusque divisio.
2. Qua dicatur collatio libera.
3. Describitur collatio non libera.
4. Quomodo collatio differat ab Electione & presentatione?
5. Per collationem conferuntur titulus beneficii.
6. An laici conferre possint?
7. Jus acquisitum ex collatione cum alio beneficio permutari potest secus jus ortum ex sola presentatione.
8. Collatio de jure solo verbo expediri poterat; hodie litteras requirit.
9. Formula collationis remissivè.
10. Collatio ab Ordinario solet concipi tamquam facta motu proprio.
11. Omittitur mentio supplicationis facta, ut suspicio ambiguitatis evitetur: quod Collatores merito attendent.
12. In litteris collationis modus vocationis exprimendus.
13. Exprimenda Ecclesia in qua beneficium est situm; item nomen ultimi possessoris.
14. Debent adscribi duo ut minimum testes qui collationi inter fuerint.
15. An testes debeant esse omni exceptione majores.
16. Littera expediri debent per notarium.
17. Apponenda data.
18. Ex data cognoscitur de jure devolutionis aut de preventionione.
19. Concurrentibus duobus collationibus, ex data de validitate cognosci subinde debet.
20. Si ab eodem duæ collationes factæ: nec de prioritare constat, neutra valet.
21. A duobus factæ collationes duobus, is prior est qui prior est in possessione.
22. Si neuter est in possessione, collatio Pontificia præferatur collationi Ordinarii: & collatio Ordinarii collationi Vicarii.
23. Quid requiratur, ut una collatio prior alterâ censeri debeat.



Collatio propriè dicta, definitur communiter, assignatio seu concessio beneficii vacantis facta ab habente potestatem.

Dividitur autem in collationem liberam & non liberam.

II. Prior dicitur quæ fit solo jure Collatoris, ita ut non restringatur ad aliquam personam, ratione juris alteri competentis; hæcque nomine collationis propriè intelligitur.

III. Posterior autem est, quæ fit alicui personæ quasi ex necessitate: dum ratione alicujus juris huic personæ competentis, aliove titulo alicui determinatæ personæ collatio faciendâ est: atque eatenus collator libertatem conferendi non habet; ideoque collatio non libera dicitur. v. g. si restringatur ad præsentatum à patrono, aut

nominatum ab universitate; vel ad permutatum ratione permutationis; soletque hæc collatio vocari *institutio*, de qua infra agetur.

IV. Collatio libera & propriè dicta differt ab electione & presentatione, quod per collationem acceptatam, etiam ante adeptam possessionem, acquiritur *jus in re*, Cap. 17. De Præbendis in 6. Per electionem verò, & presentationem etiam acceptatam, tantum *jus ad rem*; hoc est, jus aliquod quo mediante Episcopus aliusve ad quem collatio sive institutio spectat, constringi queat ad collationem ei faciendam, si aliud Canonicum impedimentum non obstat.

V. Itaque per collationem, quæ aliàs dum libera non est, *institutio* appellari solet, beneficium verè acquiritur, & *titulus* conferitur; atque de hac collatione intelligitur Cap. 1. De Regulis juris in 6. dicens, "Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine *instituzione* canonica obtineri.

VI. Hinc ulterius concludunt communiter Canonistæ, laici jus collationis competere non possunt, potestatemque beneficii, sive titulus beneficiorum dare nequeant; quamvis Reges & alii nonnulli Principes jus collationis sibi competere credant; veròque *collatio* & *conferendi* in suis litteris urantur; de quo latius ubi de nominatione Regia de jure Regiæ agemus.

VII. Ad hæc cum per collationem acquiritur *jus in re*, sive ipse titulus beneficii, concludunt Doctores, jus illud, etiam ante adeptam possessionem, permutari tamquam beneficium cum alio beneficio posse; secus verò *jus ad rem* ex sola electione aut presentatione ante collationem sive institutionem competens; & ita judicatum refert Ant. Faber in Codice lib. 2. tit. 1. Definit. §. 8. Vide Rebuffum in praxi parte 3. tit. de Permutatione n. 23.

Circa formam collationis per Ordinarios collatores sive Episcopum sive alium inferiorem expediendæ nihil in jure cautum; videturque inspecto jure communi verbo expediri posse; neque ullam scripturam requiri.

VIII. Verùm hodie collationes fieri aut saltem probari nequeant sine litteris; uti testatur Rebuffus in praxi parte 1. tit. Requisita ad collationem bonam num. 25. ubi querit, an Episcopus & alii inferiores possint solo verbo conferre, & sine litteris collationem probare; & respondet, non posse propter eorum fraudes, nec crederetur illis sine litteris. Huic conformis est moderna praxis, quæ non solet quemquam ad possessionem beneficii in vim factæ collationis admittere, nisi litteras collationis quas *Patentes* vocare solent in formâ expeditas, adferat, & exhibeat.

IX. Formulam collationis exhibet Rebuffus; extatque apud Barbofam in appendice ad tractatum de Officio Episcopi, formula 67. in qua formula præcipuè hæc notanda sunt.

X. Primò quod collatio per Ordinarios semper ita exprimitur, ut videatur facta *motu proprio*; neque ullius supplicationis aut petitionis pro beneficio obtinendo per aliquem factæ mentio fit: sed simpliciter Collator dicit, se permotum ad hanc collationem ei faciendam, ex notitia meritorum ejus, quæ hisce ferè verbis exprimi solent: "Quia de litterarum scientia, vitæ ac morum honestate, aliisque virtutum meritis, quibus illarum largitor personam tuam insignivit, suimus famâ ac fide dignis testibus certiorati; quæ nos ad gratiam tibi faciendam excitant" &c. Ita formula apud Rebuffum.

XI. Rectè autem monet D. Fleury in *Instit. Juris Canonici* parte 2. cap. 21. omitti mentionem supplicationis aut petitionis, quia esset disciplina Ecclesiastica contraria; utpote quæ omnem ambitum ad beneficia reprobant.

Utinam in conferendis beneficiis hæc formulæ clausula

sula ferè attendetur; sed pro dolor! ita hodie ferè proceditur, ac si soli supplicantes, ne dicam ambientes idonei essent: creduntque multi Collatores, se probè suo functos officio, si ex supplicantibus magis idoneo conferant; quasi non supplicantium ratio nulla habenda esset: tamen sciant, aut facillè scire possunt, hos multò capaciores esse.

XII. Ad hæc in ipsa formula collationis exprimitur modus vocationis ipsius beneficii. "Nec potest Episcopus vel Archiepiscopus habere modum vacandi pro expresso; quia hoc ad Papam solum pertinet," ait Rebuffus in Praxi parte 2. tit. *Requisita in litteris collat. num. 15.*

XIII. Exprimitur etiam Diocesis ubi beneficium situm est; & si sit Ecclesia per se exprimitur nomen sancti; aliàs esset collatio incerta, quæ non valet; uti monet Rebuffus ibidem num. 17.

Debet insuper exprimi nomen illius per cujus mortem aut resignationem aliove modo beneficium vacat; aliàs ob incertitudinem litteris collationis non crederetur. Rebuffus num. 18.

XIV. Adscribi quoque debent duo ut minimum testes in litteris collationis, qui in ipsa collatione præsentati fuerint: nec admittuntur collationes Episcoporum, nec aliorum Collatorum sine testibus conscriptis; uti testatur Rebuffus ad Concordata in Rubrica de collationibus; & ita per Senatum Parisiensem declaratum fuisse 7. Junii 1527. refert, ac dein subjungit: aliàs non creditur collationi Ordinarii in præjudicium alterius, sive jure ordinario sive jure devoluto conferant. "Quinimò etiam Episcopus postea daret litteras suas testimoniales, quibus diceret se contulisse; illæ litteræ non probarent, ad vitandas fraudes," ut ex Bertrando docet idem Rebuffus tit. *Requisita in litteris collat. num. 31.*

XV. Requiritur insuper quod testes descripti in his collationibus sint omni exceptione majores; ideo familiares & domestici, quibus imperari potest, non probarent; ita Rebuffus ad Concordata loco citato; & ita statutum per Senatum fuisse anno 1550. scribit; quod & testatur Pinsonius De benef. tit. de variis institutionum conditionibus num. 21. Quod tamen postremum non ita scrupulosè hic servatur; nec testium qualitas aut fides examinari solet.

XVI. Præter duos testes exigitur fides Secretarii aut notarii, qui litteris subscribat, eisque fidem publicam det; imò in nonnullis locis vice Secretarii requiruntur duo notarii: refertque Rebuffus loco jam allegato, præceptum fuisse arresto Senatûs Parisiensis anno 1527. omnibus collatoribus Ordinariis, ne distribuunt collationes sine testibus & Secretario vel duobus notariis: quod in his locis observandum credo, ubi in omni publico instrumento requiritur duorum notariorum testimonium, Notat etiam Gonzales ad Regulam S. Cancellariæ §. 3. *proamiali* num. 153. quod Secretarius Episcopi debeat esse notarius, ut queat litteras collationis conficere.

XVII. Denique in litteris collationis exprimenda *Data*, videlicet non tantum quo anno & mense, sed etiam quo die facta sit: quæ pluribus difficultatibus & dubiis enodandis sæpè necessaria est.

XVIII. Imprimis ex *Data* frequenter dignosci debet, an collatio intra tempus à Canonibus præstitutum facta sit; an non fuerit jus devolutionis ad Superiorem; de quo infra cap. 4.

Deinde non raro ex *Data* dependet, num Papa Ordinarii collationem non prævenit; quâ preventionem utitur etiamnum in Gallia; de quo jure agetur titulo 23.

XIX. Ulterius si duæ collationes ejusdem beneficii factæ diversis personis concurrant, ex *data*, de prioritare earum inter se, nec non validitate, & prærogativa judicari debet

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

XX. Et quidem si ab uno eodemque facta sint duæ collationes; neque ex *data* neque aliunde appareat, quæ sit anterior, neutrum valere judicatum refert Chopinus lib. 1. De sacra polit. tit. 6. num. 7. & notat Rebuffus De Pacificis possess. num. 367. ubi unâ monet, quod de prioritare possit constare ex ordine scripturæ, quando in libro Curiae Romanæ vel Episcopi sunt collationes ambæ descriptæ, tunc prior scripta censetur prior, Cap. MANDATO De Præbendis in 6. sic fuit (ait) judicatum per Senatum Tholosarum.

XXI. Si à duobus facta fuerit collatio duobus; neque appareat de prioritare, si unus prius acceperit possessionem, is alteri præferatur; tamen unus à Papa, alter ab Ordinario collationem acceperit, uti dicitur in Cap. 31. de Præbendis in 6. quia prior est conditio possidentis. Et licet hæc Decretalis tantum loquatur de collatione Papæ aut ejus legati, & collatione Ordinarii simul concurrentibus; nihilominus decisionem obtinere etiam in quacumque alia collatione concurrente cum collatione Papæ, monet Rebuffus loco citato num. 171. imò tamen una esset facta ab Episcopo, & altera ab ejus Vicario: quia est ubique eadem ratio.

XXII. Ubi verò neuter est in possessione, & de prioritare collationis non constat, tunc is, cui Sedes Apost. contulit vel legatus, erit alteri præferendus dicto Cap. 31. propter conferentis ampliorum prærogativam: quæ ratio etiam obtinet in Episcopo & ejus Vicario: ut proinde & hic obtinere debeat decisio, & ita aliquando judicasse Senatum Parisiensem testatur Rebuffus ibidem num. 373.

XXIII. Plura de hac prælatione concurrentium collationum habet Rebuffus, & latè agit Gonzales ad Regulam S. Cancell. §. 3. *proamiali* ubi sequutus Glosam docet, quod prioritas unius horæ vel etiam unius puncti, si de ea constat, faciat præventionem: sed an satis de prioritare constat, si in litteris collationis unius, horæ sit expressa; & in litteris alterius tantum expressus fuerit dies, latè examinat Rebuffus loco allegato; & Brodeau ad Lovetium Lst. M. num. 10. qui casu incidente consuli poterunt.

## CAPUT III.

## De Electione ejusque forma.

1. Electio generaliter sumpta quid significet.
2. Electio subinde sumitur pro omni provisione beneficii.
3. Aliquando pro particulari modo providendi.
4. Propriè dicitur electio quando requiritur confirmatio.
5. Beneficia electiva confirmativa propriè dicuntur electiva.
6. In his locum non habet preventio Papa in Gallia.
7. Non censentur comprehensa nisi specialis eorum mentio fiat.
8. In quorum beneficiorum electione servanda forma Cap. QUIA PROPTER De Elect.
9. Si electio ad Capitulum spectet soli Canonici de jure vocandi sunt.
10. Ex speciali titulo etiam non Capitulares jus eligendi habere possunt.
11. Canonici suffragium non habent nisi sint ut minus Subdiaconi.
12. Omnes suffragio gaudentes ad electionem vocandi; & quomodo.
13. Quomodo citandi absentes, & de fide Nuntii assertis esse citatos.
14. Qui absentes sint vocandi?
15. Quamdiu absentes expectandi?

16. Interdum etiam unus solus non expectatis absentibus eligere potest.
17. Quandoam absens possit de jure per procuratorem eligere.
18. Possunt constitui plures procuratores.
19. Si duo constitui ambo ad eligendum concurrant, quis preferendus?
20. Dum ex duobus neuter in solidum est constitutus, nullus admittendus.
21. Extraneus in procuratorem non admittendus nisi consentiente Capitulo.
22. An aliquando in electione votum dari possit per litteras?
23. An procurator unum suo, & alium nomine constituentis possit eligere?
24. Consuetudine induci potest, ut ad electionem non vocentur absentes.
25. De simili consuetudine in Gallia? neque à jure improbat.
26. Non vocatus ad electionem opponendo se, electionem irritare potest.
27. Si non opponat electio, firma manet.
28. Non vocatus tacite consentiendo electioni, eam censetur approbare.
29. An suffragium latum non capitulariter possit electionem validam facere?
30. Suffragia debent capitulariter dari.
31. In electione à majore parte concludi solet.
32. Major pars non semper eodem modo comprehenditur.
33. An de jure requiratur etiam sanior pars.
34. Hodie non ponderantur, sed numerantur suffragia.
35. Interdum beneficia ad electionem Capituli spectantia conferuntur per turnum.
36. An Capitulum propriè auctoritate electionis formam in collationem turnariam possit mutare, si in fundatione fuerit electio prescripta?

**E**lectionis nomen ex suo instituto denotat generaliter electum rei alicujus vel personæ à duobus vel pluribus; atque hoc sensu dicitur in Cap. 7. De Regulis juris in 6. "In alternativis debitoris est electio.

In hac autem materia restringitur ad personam; quantum aliqua persona ad certam Ecclesiæ functionem aut dignitatem è pluribus eligitur.

II. Hoc autem modo sumptum nomen electionis, dupliciter accipi potest. Primò generaliter, ut non solum electionem propriè & specificè sumptam, sed & postulationem, præsentationem, nominationem ac collationem comprehendat: nam & in his omnibus eligitur à præsentantibus, nominantibus, & conferentibus persona idonea ad beneficium vacans.

III. Secundò accipi potest pro electione, prout à dictis modis providendi distinguitur: sumiturque pro designatione seu electione personæ ad certum beneficium plurimum suffragiis collegialiter sive capitulariter faciendâ; & de hac tractatur sub titulo Decretalium Gregorii IX. & Bonifacii VIII. de Electione.

IV. Observat autem Rebuffus in praxi parte 1. tit. De Elect. quod ista dicitur propriè electio, quæ indiget confirmatione. Altera autem quæ non exigit confirmationem, sed Canonici vel alii eligendo conferunt, non sit propriè electio, & vim potius habeat collationis, quam electionis.

V. Hinc quædam beneficia electiva confirmativa; quædam electiva collativa vocantur.

Et quidem priora solum dicuntur propriè electiva, præsertim quando in electione servatur forma à Concilio Lateranensi præscripta in Cap. QUIA PROPTER De Electione.

VI. Observat autem Petrus de Tonduti l. 1. q. benef. c. 40. n. 8. "hujus distinctionis esse maximum effectum: nam beneficia propriè electiva in quorum electione servatur forma dicti Capituli QUIA PROPTER, in Gallia regis nominationes admittunt, alia non item: in electivis collativis admittunt Galli Pontificiam præventionem, non autem in confirmativis.

VII. Notat quoque Garcias de Beneficiis parte 1. c. 7. n. 27. quod "beneficia electiva adeo sunt speciali notâ digna, ut non veniant in mandatis de providendo, nisi de electione facta fuerit specialis mentio, etiam si nullus modus exprimat, sed simpliciter mandetur provideri de beneficio vacaturo: "Quin nec sub generali reservatione comprehendi beneficia electiva verius existimat Gonzales ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 19. vide latius Fagnanum ad Cap. NULLUS De Elect. item Antonius Fabrum lib. 1. tit. 3. Definit. 45. §. 47.

VIII. Electiones autem in quibus servanda est forma citati Cap. QUIA PROPTER "sunt illorum Prælatorum per quorum mortem Ecclesia remanet viduata & sine Pastore, nempe Episcoporum, Abbatum, & Prælatorum Ecclesiarum Collegiarum qui habent in iis generalis jurisdictionem, ratione cujus possunt appellari sponſi." Ita Garcias loco citato n. 19. Idipsum tradit Fagnanus ad dictum Cap. QUIA PROPTER, latius ibidem ostendens, quoniam dicuntur Prælati per quorum mortem Ecclesia dici queat viduata ad sensum illius Capituli; & aliqua retulimus supra parte 1. tit. 31. cap. 8.

Multa quidem specialia sunt observanda in electione faciendâ secundum formâ dicti Capituli; de qua agitur capite sequenti, plura nihilominus sunt omni electioni communia, quæ hoc capite sunt exponenda.

IX. Imprimis si electio ad Capitulum spectet, soli ii suffragium habere possunt, sique soli vocandi, qui Capitulum constituunt seu verè sunt de Capitulo. Quapropter si in eadem Ecclesia sunt diversi generis beneficiati; puta aliqui sine Canonici, alii Capellani, aut Portionarii vel similes, soli Canonici sunt vocandi, utpote soli constituentes propriè Capitulum; uti notat Fagnanus ad Cap. NULLUS De Elect. asseritque ex Compostellano, Curiam Romanam tenere, quod soli Canonici sint vocandi, & soli Canonici faciant Capitulum, qui unum corpus constituunt. Videri possunt quæ dicta sunt parte 1. tit. 7. cap. 5. ubi unâ notatum, neque obtinentes Dignitates, nâ sint simul Canonici, esse de capitulo; neque suffragio gaudere in electionibus.

X. Et hæc quidem jure communi; at ex speciali consuetudine, fundatione aut privilegio, etiam extranei sive non capitulares subinde ad electionem admittendi, & vocandi sunt, uti colligitur ex Cap. 3. De causa possessionis & propriet. ubi respondit Innocentius III. electionem Episcopi factam à capitulo cathedrali fuisse nullam, quia vocati non fuerant Clerici Conventualium Ecclesiarum, qui electioni Episcopi consueverant interesse.

Similiter respondit S. Congregatio apud Fagnanum loco citato num. 39. Portionarios non ideò censendos esse capitulares, licet vel semper, vel plurimum habeant vocem in capitulo; consequenter supponens, interdum alios præter capitulares posse gaudere suffragio in actibus capitularibus.

XI. Ulterius commune est omnibus electionibus capitularibus, quod Canonici suffragio non gaudeant, etiam si id iis ab aliis esset concessum, nisi ut minus in Ordine Subdiaconatus sint constituti; quemadmodum statutum est in Clementina ut II. de etate & qualitate Ordinandi. innovata per Synodum Trid. Sess. 22. cap. 4. de Reformat. de quo latius parte 1. tit. 7. cap. 5.

XII. Omni electioni illud quoque commune est, quod omnes suffragio, seu jure communi seu speciali

titulo

titulo gaudentes, vocari & admitti ad electionem debeant.

Vocandi autem sunt per signa solita, sive campanæ, sive vivæ vocis, si præsentibus sunt; absentes verò per litteras vel nuntium secundum locorum consuetudinem; quæ in hac vocationis forma observanda est; quemadmodum monet post alios Barbosa lib. 1. juris. Eccles. cap. 12. num. 88.

XIII. Citatio absentium faciendâ est singulariter & personaliter, si sciatur ubi degant; & commodè & sine periculo fieri possit per litteras, vel nuntium, nisi de consuetudine aliter servetur. "Quod si nesciatur ubi commorentur, citatio faciendâ erit per publicum editum in Ecclesia, vel ubi soliti sunt commorari, vel legi debent litteræ citatorie capituli præsentibus capitulo & clero; vel si citandus inveniri non potest, citatio faciendâ est in ejus domo; & si domicilium non habeat, tunc faciendâ erit in loco, ubi habitare consueverit; vel in ejus Ecclesia seu Beneficio; quia ibi residentiam facere præsumitur.

Hæc Barbosa post Glossam aliosque ibi citatos; ad deinde num. 95. subjungit: "Et nuntio præsertim jurato creditur, an aliquis ex vocalibus absens sit vocatus.

XIV. Absentes autem vocandi, qui intra eandem Provinciam sunt; uti ex Cap. 35. De Elect. communiter docent Doctores, in verbis: "vos fratribus omnibus, qui fuerint in Provincia, convocatis &c.

Merito tamen notandum dictam Glossam verbo In Provincia: "Hic videtur expressum, quod omnes illi & soli, qui sunt in Provincia, vocandi sunt ad electionem; & per hoc videtur sic intelligendum si sunt in Provincia, sic est intelligendum si sunt in provincia ita provinciam, quod commodè sunt vocandi: quia si provincia esset multum lata & longa, non debet vocari: quia periculum est in mora. Et eodem modo si esset extra provinciam & propinquus tunc vocandus esset.

In Cap. in GENESI De Elect. cujus meminit Glossa, dicitur, quod de toto Regno Francia vocentur absentes de consuetudine Ecclesiæ; quæ tamen hodie exolevit, ut mox dicemus.

XV. Si vocati intra terminum assignatum, modo tamen competens sit, non venerint, non sunt de cætero expectandi; poteritque iis absentibus ad electionem procedi Cap. 18. §. 19. De Elect.

Essent tamen expectandi, etiam elapso termino (ait Barbosa n. 97.) ubi absque periculo & incommodo expectari possent, & aliqua causâ necessariâ vel utili detinerentur, & Superior pro certo haberet, non longe abesse, præsertim cum nullum esset periculum in mora modici temporis: nam si dolo potius ipsos excludendi, quam aliâ legitimâ causâ acceleretur electio in ipsorum præjudicium, reclamationi locum esse, resolvent ibidem citati.

XVI. Quod si finis termini ad electionem faciendam immineret, possent pauciores, etiam unus solus non expectatis convocatis, eligere; quia tempus interpellat pro homine, Barbosa ibidem n. 98.

XVII. Quia ordinariè ab electione, præsertim ad Dignitates & Prælaturas notabile Ecclesiæ bonum dependet, Concilium Lateranense sub Innocentio III. "penitus interdixit, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in loco de quo debet evocari, justoque impedimento detentus venire non possit, super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento, & tunc si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam." Cap. 42. §. 1. De Elect.

Ex hoc textu habetur, quod solus absens & legitimo impedimento detentus, possit per Procuratorem eligere; notatque Barbosa loco citato numer. 108. "quod non dicatur absens ad hunc effectum is, qui est in aliqua

Van Espen Jur. Eccl. P. II.

parte civitatis, etiâ remota, vel propè in hortis. Si verò quis sit præsens in loco vel in cœnobio ubi fit electio, sed tantâ ægitudine detentus, ut non possit ad talem locum accedere, poterit ille unum vel plures de collegio sibi substituere ad eligendum, vel Electores debent aliquos ad eum mittere, ut ejus suffragium petant.

XVIII. Juxta hoc Decretum Concilii Lateranensis videtur unus dumtaxat constitui potuisse procurator ad eligendum; quod & indicat Bonifacius VIII. in Cap. 46. De Elect. in 6. una permittens, quod "si quis iusto impedimento detentus in electionis negotio nequeat, commodè interesse, possit nedum uni (prout dicitur in Concilio generali) sed etiam pluribus vices suas committere.

Ubi ergo Concilium unum solum constitui permittit, Bonifacius plures constitui permittit; ita tamen, ut dum plures constituuntur, cuilibet in solidum facultas eligendi detur: tuncque melior sit conditio præoccupantis.

XIX. "Verùm si ambo concurrant insimul & postulent se admitti, audiri eos non expedit; quia possent vota sua dirigere in diversos, sicque res non haberet exitum, & quod ab eis hoc casu fieret, non valeret: sed is admittatur dumtaxat, quem Capitulum vel pars major elegerit: vel si concordare nequeant, is, qui prius in instrumento vel litteris procurationis extiterit nominatus.

Antequam ergò procedatur ad ordinem scripturæ, recurrendam est ad electionem Capituli. "Tabelliones enim præponunt, quos volunt in instrumentis; & idè fuit æquius primò recurri ad electionem Capituli, per quam magis idoneus eligeretur: secundò ad scripturam ordinem in subsidium. "Ita Glossa hic verbo, nequeant.

XX. "Si autem nullus ipsorum in solidum fuerit deputatus, tunc propter rationem eandem (ait Bonifacius) ipsorum aliquis non debet admitti: sibi que imputet, qui sic eos constituit indiscretè.

XXI. Constituendus autem procurator ad eligendum est aliquis de Capitulo; neque invito Capitulo extraneus admitti debet, uti declarat Bonifacius VIII. At si Capitulum consentiat, poterit extraneus constitui, uti notat Glossa, verbo nolente Capitulo.

XXII. Addit insuper Bonifacius, quod licet nullus de Capitulo velit esse procurator, nec Capitulum extraneum admittere, non possit equidem Canonicus absens per litteras exprimere votum suum, quod non est ante scrutinium; sed in ipso scrutinio secretè & singulariter tantummodo exprimendum.

Evidens est, Pontificem hæc loqui de electione per scrutinium, in qua non tantum nominis publicatio; sed etiam expressio secretò in scrutinio fieri debet, uti notat Glossa hic verbo, votum suum. Quare in electione ubi per vota publica proceditur, nihil obstat quominus per scripturam absens votum suum dare queat, præsertim si consuetudo Ecclesiæ hujusmodi voti dationi non adversetur.

XXIII. Denique declarat Bonifacius VIII. "cum unus est procurator simpliciter constitutus, si is unum suo & alium Domini sui nomine in scrutinio nominandum duxerit, nihil agit, nisi de certa eligenda persona sibi Dominus dederit speciale mandatum, tunc enim in illam ejus, & in aliam suo nomine licitè poterit consentire.

Rationem cur priori casu nihil agat, allegat Glossa hic verbo, nihil agit, "quia quâ conscientia tenetur meliorem eligere suo nomine, eadem ratione tenetur ad idem nomine Domini sui.

XXIV. Hæc quidem ex jure communi; at non omnium Ecclesiarum est hodie eadem consuetudo, idemque usus circa necessitatem vocandi absentes in negotio

D d d

electio.